



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Inter visitandum abusus corrigendi. 23

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

CAP. XX. *Officiales Archidiaconorum,
& Decanos Rurales, viros graves
esse oportere.*

Qvod ut recte ac prudenter fiat, Archidiaconis nostris incumbit, ne ullos inidoneos Officiales aut Decanos Rurales deligant aut admittant, sed ad has functiones viros tantum assumant, cum doctrina praestantes, tum vitae innocentis inculpatæque, qui, nullius criminis labe notabiles, Officium suum irreprehensibiliter exequantur.

CAP. XXI. *Synodi Archidiaconales
antiquitatem quandam praeseferunt.*

c. I. de
off. arch.
Hunc
Canonem
venarrat
B. Rhenanus
in
proemio
Tertul.

EX vetustissima quadam inquirendorum criminum formula relictum est, ut Archidiaconi anno bissextili circumeant, & peccata enormia emendent; quæ sequitur in hæc verba: In Concilio publico, ab Episcopo habito, primitus jurare debent de villis singulis fidelissimi quique, liberi & servi, tres vel quatuor, seu etiam plures, ut rei veritas omnino inquiratur. Juramentum autem illud hujusmodi esse debet: Quicquid in villa, in qua habitat, veraciter sciat, vel serio audierit actum contra fidem rectam & Christianitatem, Episcopum aut ejus nuncium, quantum recordari possit & scientia subministrat, non lateat. Post juramentum vero Episcopus per singula numerare debet, quæ prius juramento comprehendit, hoc est: Si vir, super uxorem suam, aliquam elanculo corrupit: Si cum duabus cognatis, sive mulier cum duobus propinquis fornicata sit: Si commatrem spiritualement aut filiolum suam stupro violavit: Si qua mulier partum suum necavit, vel conceptum quocunque modo excussit: Si quis cognatum suum voluntate aut casu occidit, seu morbidum fecit, & necdum ad publicam poenitentiam venit: Si mulier maritum suum, aut maritus uxorem suam, iniquo consilio interemit: Si quis virum aut foemina veneno, aut aliqua alia potione, occidit, & qui hoc, scilicet veneno, machinatur: Si sciat divinatrices vel augures, etiam illos qui per incredulitatem illas inquirant: Si sciant meretrices, quia meretrix appellatur; si, uno contempto, cum aliis fornicatur, licet nupta non sit: Si illos etiam sciant, qui cum excommunicatis communionem habent: Si illos sciant, qui convicti sunt perjurium perpetrasse; si & illos noverint, qui loca, Deo non dicata, contra fidem Ecclesiasticam colunt, & ad Christi Ecclesias venire contemnunt: Illos etiam si sciant, qui indictum jejunium negligunt. Hæc omnia dum Episcopus habet recitata, juratores per juramentum

commoneat; cæteros vero omnes, nobiles & ignobiles, per Bannum Christianitatis constringat, ut supradictas res minime celent, ac si in die iudicii, ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, rei occultatione præfatarum rerum nefandarum inveniantur. Hoc enim indicet & per Bannum contestetur, ut nemo, per ullius timorem aut favorem vel etiam amicitiam, præfata reticeat, veraciter scita. neque per odium, neque per inimicitiam ullam, quicquam alicui irroget, quod veraciter non possit probare. Horum aliqua si antea in præsentia Episcopi allata essent, ejusque iudicio terminata, postea iterata comperta fuerint; velut in initio, referantur, & Episcopali decreto constituentur.

CAP. XXII. *Abusus in Synodorum Archidiaconalium ac Ruralium observatione.*

PRæscripta quidem formula, quam antiquitatis causa retulimus, successu temporis in abusum, quod negare non possumus, deducta est; quod non fidelissimi quique, sed leves delatores, non qui veraciter sciant, aut serio audiverint, idque à probatis, neque uno tantum, sed pluribus, hisque fide dignis minimeque malevolis; sed frequentius absque omni delictu, vel leves ac futiles, vel invidi ac rapaces calumniatores, delationi comperiantur adsciti; quodque pro manifestis criminibus non Canonice poenitentia, sed pecuniariae potissimum multæ à delinquentibus fuerint exactæ, permissis interim delinquentibus, haud præter grave populi offendiculum, in publica scelerum infamia perseverare.

CAP. XXIII. *Inter visitandum
abusus corrigendi.*

Qvæ omnia magna correctione indigent; quam, volente ac adjuvante Deo, inter visitandum adhibebimus; nimirum curaturi, ut viris exploratæ virtutis tantum hoc Officii delegetur.

CAP. XXIV. *Procuracionem suo officio recte fungentibus pendendi, æquum esse.*

HIs autem, qui Synodo præficiendi sunt, sumptus necessarios (quam Procuracionem Canones vocant) per Parochianos suppeditari, justum atque æquum est.

Cætera, quæ præsentis Concilii Decretis comprehensa non sunt, (sunt autem pleraque, non minorem quam ea quæ correximus, castigationem postulantia) ea secundum sacrorum Canonum censuram, partim in Visitatione, partim in futuris Synodis Episcopalibus, Deo dante, emendare diligenter adnitemur.

Ex Conc.
Lateran.
Ex Conc.
gener. 6.
cum App.
stolis 6.
procuraciones de
consensu

Canonum Concilii Provincialis Coloniensis, Anno
M D XXXVI celebrati, Finis.